

ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena graecarum artium ac disciplinarum: studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis: et hic Romae, propter tranquillitatem reipublicae, non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini, et Rhegini, et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes, qui aliquid de ingenii poterant judicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae, cum esset jam absentibus notus, Romam venit, mario consule et Catulo, nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias esset, eum in domum suam receperunt. Sed etiam hoc non solum ingenii ac litterarum, verum etiam naturae atque virtutis caussa, ut domus, quae hujus adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti. Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi Numidico, et ejus Pio filio: audiebatur a M. Aemilio: vivebat cum Q. Catulo, et patre et filio: a L. Crasso colebatur: Lucullos vero, et Drusum, et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore: quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus, et cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam. Quae cum esset civitas aequissimo jure ac foedere, adscribi se in eam civitatem voluit: idque cum ipse per se dignus putaretur: tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracliensibus impetravit. Data est civitas Silani lege et Carbonis, *si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent, si tum, cum lex ferebatur, in*